

CHRISTIANUS WEISE,
in Augusteo Politices Eloqventiæ
ac Poëseos Prof. Publ.

AUDITORIBUS SUIS
publicè privatimq;ve industriis
SAL. DIC.



Lipsia dum vernis circumsonat undiq; turbis,
Atq; suum strepitum venditor omnis habet;
Ota tranquillis juvat indulgere Camœnus,
Non modo qvâ Pliß& sorbet Elyster aquas:
Leucoris ipsa suum resoluta qviescit ad Albim.
Salaq; curriculo liberiore fluit.
Sive aliquos gaudet spectare Professor amicos,
Cambia nummorum seu Studiosus amat;
Sive etiam Musis passim novus imminet hospes,
Quem novus expedit, tardior inde, labor.
Quod felix igitur faustumq; sit Augusteo,
Publica sic nostros feria clausit agros.
Vidimus interea renovari fœtibus annum
Herbida qvi multo pressimus arva pede.

Lusi-

*Lusimus ad campos, ad amœnos lusimus hortos,
Quâ Natura suum pandit amica librum.
Nunc novus in nobis crescendi ebulliat ardor,
Ac videat flores provida cura suos.
Defessas animo decuit si reddere vires,
Jam quoq; sedulitas redditare reddat opus.
Confluite ô Juvenes ad publica pulpita, si vos
Aut pudor, aut studii vivida flamma rapit.
Nec minus ad nostras properate frequentius aedes,
Dum quasi privatas Musa recludit opes.
Florida CLAUDIANUM quæ mulcet Svada Poëtam
Multaq; de Sophico gemma petita penu,
Hædenus ad vestras Stiliconem jaditat aures,
Nec forte egregiam pœnitet iße viam.
Legimus armatas laudes, nunc q;valibus Urbem
Moribus ornarit, postera cura probet.
Sic habeat faustum pangenda INSCRIPTIO dextram.
Si tanti fuerit ledio prompta Viri.
Vulgavi methodum: quicunq; Politicus audit
Vel sine tot numeris esse Poëta potest.
Sufficit argutâ calamum virtute moveri,
Siminus ad nutum Serva Poësis adest.
Vos ergo ingenii mecum perpendite vires!
Nam faciles monstrat regula scripta gradus.
Ludite, ludendo libet exaurire labores,
Qvos nimium duros ille vel iste facit.*

Præ-

Præcino, cantantis blanda est imitatio: sic me.

Nec docuisse piget, nec cecinisse pudet.

Cætera si cupitis legere hic signata, quid inter

Privatos statuam continuare Lares:

Hactenus excoluit Vernacula nostra lepores,

Qvod genus ORATOR ritè POLITUS habet:

Nunc vacat in LATIAS oculum convertere terras,

Ut quoqz dota sciat lingua diserta loqui.

Sive quis effuso Mureti flumine gaudet,

Sive jubet ripas Curtius esse breves;

Non patiar lepidam frustra tentarier artem.

Si modo sint lepidi, quos mea dicta movent.

Quinetiam si quos Rerum nova Copia tangit,

Qualem Camdeni ledio tarda dedit,

Ecce iterum varios dispergit Epistola flores,

Lipsius unde diu nobile nomen habet.

Hujus ut in verbis nil est imitabile, sic nil

Qvod non mireris sensa profunda vehunt.

Fallor? an in dulces mea Collectedanea plausus

Et res Titulos folia ipsa vocant,

Belgica donec apis sinat hic sua mella recondi,

Atqz suas opibus Lipsius addat opes.

O ter felicem calamum, qui talia scribat,

Ac facili in scriptis utilitate probet.

Netamen ad suaves austera Politica lufus

Frigeat, encurtas sumite porro theses.

Pu-

Pugnate ut studium concors discordia firmet,
Ac facies Veri vos genuina trahat!
Sedulus opponat, cui pulchrum est solvere nodos,
Quiq; cupid tandem Præsidis esse loco.
Floreat ut sermo, lenta Oratoria præstat,
Ut fluitet, cathedræ prompta loq; vela facit.
Plura qvid expediat vestra hic industria? sanè
Fadis quam verbis ditior esse velim.
Multa igitur taceo, quæ vester prædicet usus,
Si fluat assiduis quælibet hora bonis.
Sic mihi præsentem concedat IÖVA favorem,
Ullibi nec vester longius absit amor.
Sic PATER AUGUSTUS studiorum augmenta re-
censens,
Gaudeat illustrem hunc constituisse Chorum.

PP. d. 28. April. M DC LXXVIII.

